

intra Meridiani primarii ambitum per denos quosque Æquatoris gradus ductæ versus utrumque Polum, ubi lineæ hæ omnes concurrunt, si tabulæ sint rotundæ; non item si quadratæ. In Planisphærio porro Parallelos arctius in medio conjungi, disjungi verò in extremitate necesse est, id quod in Globo minimè accidit.

CAPUT II.

De mappis Geographicis generatim.

1. *Quid est Chorographia? quid Topographia?*

Chorographia est regionis (Græcè *χωρα*) descriptio; Topographia verò est peculiaris cujusdam loci (Græcè *τόπος*) v. g. urbis cum circumjacente tractu descriptio.

2. *Quid est mappa, seu charta Geographica?*

Est accurata sitûs terræ, vel ejus partium in plano & charta adumbratio.

3. *Quotuplicis generis sunt mappa?*

Duplicis; aliæ enim sunt universales, quæ orbem terrarum universum depictum exhibent; aliæ particulares, & hæ vel *maiores*, in quibus majores orbis partes, ut Europa, Asia, Africa, America depinguntur, vel *minores*, in quibus vel regnum quoddam, aut provincia, vel regionis duntaxat pars, tractusve aliquis delineatur.

4. *Quid in mappis universalibus præcipuè attendendum?*

In harum, imò & quarumcunque mapparum aspectu facies ad Polum Arcticum, sive Septentrionem, qui in superiore parte mappæ inscribitur, converten-